

divino spiritu afflata in futurorum cognitionem sit prove-
cta: esseque non omnino absurdum illud, quod Plutarcho
auctore Ægyptii existimant, mulieribus Dei spiritum faci-
le appropinquare. In hunc igitur modum orsa illa est:
*Æneadum gloria Byzantium deducetur: Eruntque Danaï
in robore delicato usque ad Leonem sexaginta pedum: donec
catulos ejus Ursus devoret: Hunc Aquila despecta Ursum
dissipet: Aquilam Hircus obumbret: pullum voret Aquila:
Fietque potentum in Hadriaticis aquis congregatio: cæco Du-
ce Hircum abigent: Byzantium profanabunt: Hircus non
balabit amplius: nec Gallus cantabit, usque dum sexaginta
tres pedes & pollices novem discurrant.* Romanum, in-
quit, imperium, quod, Constantino Principe accidit, By-
zantium traducetur: eritque pacatum usque ad Emanuelis
Imperatoris tempora, qui vixit annos sexaginta: Hujus li-
beris peremptis, Andronicus Imperium ad se trahet, quem
Sybilla Ursum appellat: Isachus ab Emanuele prognatus,
despectus antea, Andronicum obtruncabit: Alexius Isa-
chum fratrem, Græcanico more barbatum, infidiis exce-
ptum excæcabit, in carceremque conjiciet: Quo & Ale-
xium Isachi filium tractum quidam voluere, postea ruptis
vinculis ad Venetos confugisse. Tum Veneta arma Gallis
armis juncta Dandulo Duce, cui Emanuelis fraude lucem
pene ademptam diximus, in Græciam transibunt: Byzan-
tio capto, Imperii decus Græcis adimetur: tum neque Im-
perator Græcus neque Antistes, quorum hunc Gallum, il-
lum Hircum Sybilla (si Sybillæ id carmen fuit) appel-
lat, annos tres & sexaginta ac menses novem in Græcia
non erunt. Hæc illa.

Petrus
Cianus
Dux crea-
tur.

Henrico autem Principe defuncto, Petrus Cianus Seba-
stiani Ducis filius, secutus est. Erat is per id tempus quo
Princeps declaratus est, Arbæ Comes. Veneti interim,
qui Byzantii erant, ne sine aliquo Magistratu essent, Præ-
torem sibi creavere: verum creationem illam Byzantii fa-
ctam ita ratam esse voluerunt, si Dux Patresque illius au-
ctores Venetiis postea facti essent. Primus igitur omnium,
qui novum Byzantii magistratum gessit, Marinus Zenus
fuisse